

vel ipsius viri a valore unius marche frx. superius, ille vel illa cuius fuerit proprietas solvere debeat et teneatur pro medietate eius quod consteterit. ¶ Et si qua terra uxoris alicuius vel viri data fuerit alicui ad pastinandum ad medietatem, si
5 terra fuerit uxoris remaneat uxori, et si fuerit viri remaneat viro.

Cap. LXVII. Rubrica quod commissarii teneantur distribuere dimissoriam per testatorem ordinatam.

10 S tatuimus quod commissarii teneantur concorditer dispensare dimissoriam ordinatam per testatorem vel testatricem, in eius testamento contentam, ad terminum in eo contentum, sub pena libr. vigintiquinque pro quolibet commissario contrafaciente. ¶ Et si terminus distribundi aliquam dimissoriam ap-
15 positus non esset in aliquo testamento, tunc commissarii constituti in ipso testamento post obitum ipsius testatoris infra unum annum suam dimissoriam dispensare teneantur sub dicta pena, qua soluta vel non, nichilominus predicta facere teneantur; quam qui(n)dem dispensationem, si fuerit a qua-
20 draginta sold. par. superius, manu publica debeant facere notari et demonstrare, // sub pena dupli ipsius dimissorie in 276 B comuni componenda.

Cap. LXVIII. Rubrica quod commissarii teneantur facere inventarium et tutores censeantur una persona cum commissariis.
25

O rdinamus quod quilibet commissarius sive tutor facere debeat et teneatur inventarium de bonis pupilli, cuius fuerit tutor vel commissarius constitutus, cum aliquo propinquo ipsius pupilli, et hoc infra unum mensem post mortem testatoris seu postquam tutor fuerit constitutus, sub pena libr. vigintiquinque par. pro quolibet commissario sive tutore contrafaciente. ¶ Preterea ipsi commissarii et tutores censeantur et habeantur una et eadem persona, et constituere possint pro-